

Halicienses et Camenecenses non uno et eodem tempore sed in duabus septimanis uni post alteros celebrentur, ne subditi nostri in actionibus suis periclitentur. Quod ad eorum et singulorum, quorum interest, notitiam deducimus et deduci volumus, harum serie^a litterarum quibus in testimonium sigillum nostrum est impressum. Datum Cracoviae in conventionem generali sabbato proximo ante dominicam Letare, anno quo supra [30 III 1527]. Relatio reverendissimi, ut supra¹.

VIII. DECRETUM UT TERMINI TERRESTRES DISTRICTUS TREBOVLIENSIS AD BUCZAC TRANSFERUNTUR ET IBI CELEBRENTUR

Significamus etc. Quia cum retulissent nobis in praesenti generali regni conventu nuntii terrae Podoliae oppidum Trebowla non est securum locum in quo termini terrestres districtus Trebowliensis celebrentur quando quidem nec oppidum ipsum sit munitum, nec extat illic arx que tempore hostilis incursionis nobilitati ad terminos ipsos venire solite confugium et receptaculum preberet. Nos volentes securitati subditorum nostrorum prospicere, de consilio consiliariorum nostrorum statuimus et decrevimus, ut termini ipsi terrestres districtus Trebowliensis ad Buczac transferantur et ibi celebrentur, tandiu quousque arx in Trebowla fuerit constructa. Quodquod ad universorum et singulorum quorum interest notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes. Quibus in testimonium sigillum nostrum est impressum. Datum ut supra anno quo supra [30 III 1527]. Relatio Reverendissimi ut supra¹.

IX. LITTERAE RESTIUM

A. Litterae ad universam regni nobilitatem in vim primarum restium emissae et publicatae^a.

Sigismundus^b, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, dignitariis, officialibus, burgrabiis et nobilium communitatibus, advocatis et scultetis ceterisque subditis nostris terras regni nostri ubilibet incolentibus et praesertim terram N. et districtum C.^c de iure et consuetudine ad expeditionem bellicam obligatis, sincere nobis et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famati et providi, sincere et fideles dilecti! Significarunt nobis pro re vera ac certissima exploratores nostri, quod semper in excubiis habemus, Tartaros continuas hostes nostros, ingenti vi regnum et dominia nostra populari statuisset, iamque illos prope fines nostros degere et quamvis in conventu Cracoviensi praeterito decreta sunt praesidia, ad leviores tantum insultus hostium reprimendos quae in terris Russiae tenemus, tamen illa ad tantam potentiam propulsandam nequaquam sufficiunt et pro inde ne Respublica gravem iacturam, quam dominus Deus avertat, accipiat, aut in magnum aliquod discrimen incadat, vobis omnibus in commune et quilibet seorsim qui expeditionem bellicam generalem et servitium nobis et Reipublicae debetis in vim primarum restium notum facimus et mandamus, ut equos, arma, tela aliaque bona ad bellum necessaria parata et disposita, iuxta debitum et facultatem vestram habeatis, ut cum primarum aliis restium litteris a nobis^d admoniti fueritis, possitis citra ullam moram ad tuendam patriam et hostes propulsandos accurere sub poena amissionis bonorum omnium. Volumus tamen, ut interim iudicia publica terrestria et castrensia

^a Odczyt niepewny.

^a W MK₁ tekst ten nosi tytuł: Primae litterae restium. W MK₂ tytuł jak w niniejszym tekście. W AT: Litterae primarum restium contra Tartaros. ^b W AT: Sigismundus etc. ^c MK₁ dodaje: eiusdem. ^d W MK₂ brak: a nobis.

¹ Piotra Tomickiego.

¹ Piotra Tomickiego.